

139.
 materiam, & istæ aquæ coniunctæ cum aqua nostra faciunt vnâ aquam mundam, claram, omnia mundans, omnia tamen necessaria in se continens: & ista est cara & vilis, de qua & cum qua perficitur nostrum magisterium. Nam corpora soluit non solutione vulgari, pro vt tradunt ignorantes, qui conuertunt corpus in aquam nubis, sed solutione vera Philosophica, in qua conuertitur corpus in aquam primam, ex qua fuit ab initio, ipsa eadem aqua corpora in cinerem trãnsformat. Scias autem quòd ars Alchimix est donum Spiritus sancti. Et scias quòd diebus nostris habuimus magistrum Arnoldum de Noua villa, in curia Romana, summum medicum, & Theologum qui etiam magnus Alchimista fuit, qui etiã virgulas auri faciebat, quas consentiebat omni probationi submitti.

Arnoldus: Sciant artifices Alchimix species metallorum transmutari non posse, nisi fortè in primam materiam reducantur, & tunc quidem transmutantur in aliam quàm priùs erant speciem. Et hoc ideo, quia corruptio vnius est generatio alterius, tam in artificialibus quàm in naturalibus. Ars enim imitatur naturam, & in quibusdam corrigit & superat eam, sicut iuuatur natura infirmi medicorum industria.

Speculum: Venerabili ergo vtimini natura, quoniam non emendatur natura, nisi in sua natura: cui alienum nolite introducere, nec puluerem, nec aliquam aliam rem: quippe quia diuersæ naturæ lapidem nostrum non emendant, nec intrat in eum quod non sit ortum ex eo, quoniam si aliquid extranei sibi apponatur, statim corrumpitur, & non fit ex eo quod quæritur. Vnde notifico, quod nisi similes res initio coquendi receperis, & absque manuum contritione subtiliaueris, donec omnia aqua fiant, nondum opus inuenisti. Quare scire facio preciosissimum arcanum studentibus, vt non fatigentur in vanum, quia hoc magisterium nihil aliud est, quàm coquere argentum viuum, & sulphur, donec vnum fiat argentum viuum, quod defendit sulphur à combustione, si fuerit vas bene clausum, ita quòd argentum viuum non possit euanescere, nec sulphur possit comburi, nec deuastari: quia argentum viuum nostrum est